

rò si jam omnes omnino species tam imperii, quàm jurisdictionis sub definitione generaliori comprehendere quis velit, nihil aliud agit, quàm ut ex jure & decisionibus juris Logicum agrum efformet, & ejusmodi quæstiones colligat, quæ in vita communi & practica præter speculationes Theoricas nullum planè usum habent. Et quidem si hæc Justiniani mens in definitionibus generalioribus proponendis unquam fuisset, longè alius fuisset, quàm ipsum deprehendamus. Sanè si ex consuetudine patrisfamiliæ colligendum & inferendum erit ad voluntatem ipsius, si semper unum eundemque modum in suis domesticis negotiis observavit, quid ni etiam attendentes ad consuetudinem nostri Legislatoris, quantum ad definitiones illas generaliores attinet, diceremus noluisse ipsum ejusmodi generaliores tradere definitiones, non tantùm quia parùm utilitatis habet, sed & quia magis magisque implicent, & ad varias cogitationes distrahunt. Secundùm illud:

*Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.*

Sanè si naturam ipsam intueamur, ita se res habebit ex mente Aristotelis, & omnium Philosophorum, cum quibus etiam Jurisconsulti transiunt. Quod omne illud, quod est multiplex simul sit imperfectum. Id quod certè de ejusmodi multivariis definitionibus prædicari posse videtur, aliàs si insistimus vestigiis Imperatoris nostri, eò collimabimus, ut si definitionem pro nobis habeamus, censeamus habere intentionem nostram de jure fundatam, prout tradunt Doctores *in l. 1. ff. de regul. jur. & in l. omnis definitio, ff. eod.* hæcque mens est Jurisconsulti, quando ait, omnem definitionem in jure esse periculofam, parum enim abesse, quò minus subverti possit. Nam quatenus natura semper deproperat edere novas formas, eo res recidit, ut in definitione proposita adhuc quotidie aliquid adjungatur, quo tamè casu definitio solet retineri. Exemplum sumatur de servitutibus, quæ sunt ex jure gen-